

Sessio 2^a habita die 26 Februarij 1562

Sacrosancta aecumenica generalis Tridentina sinodus in Sancto Spíitu legitime congregata praesidentibus in ea eisdem Apostolicae Sedi legatis: non suis viribus confisa, sed Domini Nostri Jhesu Christi qui os, et sapientiam ecclesiae suae daturum se promisit, et ope et auxilio freta: illud precipue cogitat ut catholicae fidei doctrinam multorum inter se dissidentium opinionibus pluribus locis inquinatam, et obscuram in suam puritatem, et splendorem aliquando restituat, et mores qui a veteri instituto deflexerunt ad meliorem vitae rationem revocet, corque patrum ad filios, et cor filiorum ad patres convertat. Cum itaque omnium primum animadverterit hoc tempore suspectorum librorum quibus doctrina impura continetur, et longe lateque diffunditur numerum nimis (*sic*) excrevisse; quod quidem in causa fuit ut multae censurae in varijs provincijs, et presertim in alma urbe Roma pie admodum editae a catholicis viris fuerint, nec tamen huic tam magno, ac perniciose morbo salutarem ullam profuisse medicinam: censuit ut delecti ad hanc disquisitionem patres de censuris librisque quid facto opus esset diligenter considerarent, atque etiam ad eandem sanctam synodum suo tempore refferent: quo facilius ipsa posset varias, et peregrinas doctrinas tanque zizania a christianae veritatis tritico separare deque his commodius deliberare, et statuere quae ad pacandas piorum conscientias, et tollendas multarum querellarum causas magis opportuna videbuntur.

Hec autem omnia ad notitiam quorumcumque deducta esse vult prout etiam presenti decreto deducit ut si quis ad se pertinere aliquo modo putaverit quae vel de hoc librorum, et censoriarum (*1 v.*) negotio, vel de alijs quae in hoc generali concilio tractanda predixit: non dubitet a sancta synodo se benigne auditum iri.

Quoniam vero eadem sancta synodus ex corde optat, Deumque enixe rogat quae ad pacem sunt ecclesiae ut universi communem matrem in

terris agnoscentes quae quos peperit oblivisci non potest: unanimes, uno ore glorificemus Deum, et patrem Domini Nostri Jhesu Christi per viscera misericordiae ejusdem Dei, et Domini Nostri omnes qui nobiscum communionem non habent ad concordiam, et reconciliationem, et ut ad hanc sinodum veniant, invitat atque hortatur, utque charitatis quod est vinculum perfectionis amplectantur, pacemque Christi exultantem in cordibus suis pre se ferant in quam vocati sunt in uno corpore. Hanc ergo non humanam, sed Spiritus Sancti vocem audientes non obdurent corda sua, sed in suo sensu non ambulantes nec sibi placentes ad tam piam, et salutarem matris suae ad monitionem excitentur, et convertantur. Omnibus enim charitatis officijs sancta synodus eos ut invitat, ita complectetur.

Insuper eadem sancta sinodus decrevit fidem publicam in congregacione generali concedi posse, et eandem vim habituram ejusdemque roboris, et momenti futuram, ac si in publica sessione data, et decreta fuisset.

Statuit preterea ipsa sancta sinodus atque decrevit quod si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, et sententiam etiam sub verbo placet proferre, congregationibusque interesse, et alios quoscumque actus facere concilio durante: nulli propterea prejuditium generetur, nulique novum jus acquiratur.

(B. R.)